



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

Prima Appendix Regionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**



PRIMA  
APPENDIX  
REGINONIS.

TITULI CAPITUM.

1. **D**e pseudo-graphis & dubiis narrationibus.
2. De lineis altaribus præparandis.
3. De his qui proponentes fornicari vetantur.
4. Laicam pellentem suam conjugem communionem privandum.
5. De his qui velut peccatum copulam deserunt nuptiarum.
6. De mulieribus quæ utuntur virilibus indumentis.
7. De his qui Christianitatis obtentu despiciunt filios.
8. De his qui dominico die jejunant.
9. De his qui abominantur eos qui carnibus vescuntur.
10. Non debere in diebus jejuniorum commemorationes martyrum fieri.
11. Quod manere debet firmum si servi fisci Ecclesias fecerint.
12. Ut omni die energumini exorcizentur.
13. De victu energumenum.
14. De servis qui ad Ecclesiam confugiunt.
15. De nominibus recitandis in Missa.
16. Quod rite omni sab-



- bato jejunetur.
17. Jejunia legitima non nisi maxima necessitate solvenda.
18. Ut incarcerati à Præpositis Ecclesiæ diebus dominicis visitentur.
19. Ut mulieres publicè docere non præsumant, neque baptizare.
20. Qui ad Ecclesiam confugiunt tradi non debent.
21. De accusatis vel accusatoribus.
22. De eadem re.
23. De eadem re.
24. De eadem re.
25. Item unde suprâ.
26. Ex eodem.
27. De his qui Episcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerint.
28. Quæ pœnitentia imponenda sit his qui furem aut latronem interficiunt.
29. Ne oblationes alibi fiant quàm in Ecclesia.
30. Contra eos qui dicunt sanctum Gregorium Papam Romanum ad interrogationem Augustini Cantuariorum Episcopi consanguinitatis quarta contracta matrimonia solvi minimè debere.
31. De Presbyteris vel Diaconibus ab uno Episcopo non deponendis.
32. Ut Abbates Episcopis, monachi Abbatibus sub sint. Et de monachis vagis.
33. De discretione potestatis Episcoporum quam in monasteriis habere possunt.
34. De his quos parentes ab infantia clericatus officio manciparunt, si postea voluntatem habeant nubendi.
35. Ut Diaconus ante xxx. annos & sacerdos ante xxx. non ordinetur.
36. Ut pœnitentes & bigemi non ordinentur.
37. Quæ ætate Diaconi ordinentur.
38. Quæ ætate Episcopi vel Presbyteri conferantur.
39. Quæ ætate sacerdotes ordinari debeant.
40. De ordinatione Episcopi.
41. Ut viduæ non velentur.
42. De eadem re.
43. De viduis quæ post professam continentiam peccaverint.
44. De viduis professis, si nupserint, aut raptæ fuerint.
45. De viduis & virginibus, si castitatem tenere voluerint.
46. De viris ac feminis sacris propositum transgredientibus sacrum.
47. Ut



47. Ut vidua vel virgines continentiam professæ non nubant.
48. De his qui velatas Deo consecratas in conjugium duxerint
49. De viduis velatis.
50. Item de viduis velatis.
51. De viro contra voluntatem uxoris in monasterium ingresso, & jam tonsoratus fuerit, omnino reddendo.
52. Episcopum debere honorem deponere si concubinam habuit eo tempore quo erat in sacro ordine constitutus.
53. De raptoribus viduarum & virginum. Item de abbatibus quæ jus electionis habent, seu de his quæ non habent.
54. Quid sit ministrare Christo.
55. De Clericis qui monachorum propositum appetunt.
56. Decretum de viduis.
57. De vidua quæ sub obtentu religionis velum ad tempus sibi imposuerit.
58. De pœnitentibus viris ac viduis sive virginibus qui divertentes laici fiunt, aut vestem mutant, vel conjugii copulantur.
59. De discretionem secularium & sanctimonialium viduarum.
60. Ad habitum redire cogatur, & recludatur in monasterio, quæ religiosam vestem abiecit.
61. De eadem re.
62. De feminis quæ religionis vestem in domibus propriis mutaverint, si postea conjugium elegerint, quid agendum sit.
63. Quod consuetudo ecclesiastica pro lege tenenda sit.
64. De eadem re.

INCIPIT TEXTUS

CAPITULORUM.

De pseudographis & dubiis narrationibus:

*Ex libro I. Capitularium.*

I. PSEUDOGRAPHIÆ & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem

Lib. I. Capitular. c. 78.

B b



catholicam sunt, ut epistola pessima & falsissima quam dicunt in Hierusalem de cælo cecidisse, nec credantur, nec legantur, sed comburantur.

De linteis altaribus præparandis.  
*Ex eodem.*

Lib. 1. Capit.  
c. 152.  
Burchard. lib.  
3. c. 115.

II. Ut Presbyteri per parræchias suas feminis prædicent ut linteamina ad altaria cooperienda præparent.

De his qui proponentes fornicari verantur.  
*Ex Concilio Neocæsariensi.*

Concil. Neo  
cæs. c. 4.

III. Si quis mulierem concupiscens proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non pervenit ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus sit.

Laicum pellentem suam conjugem communionem privandum. *Ex Concilio Apostolorum.*

Can. Apost.  
c. 48.

IV. Si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communionem privetur.

De his qui velut peccatum copulam deserunt nuptiarum. *Ex Concilio Gangrensi.*

Conc. Gangr.  
c. 14.

V. Si qua mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias execrata, anathema sit.

De mulieribus quæ utuntur virilibus indumentis. *Ex eodem.*

Conc. Gangr.  
c. 13.

VI. Si qua mulier pro solito muliebri ami-



Et uirilem sumit, anathema fit.

De his qui Christianitatis obtentu despiciunt filios. *Ex eodem.*

VII. Si quis filios suos relinquens, non eos enutrit, sed eos negligit occasione continentia, anathematizetur. Conc. Gangr. c. 15.

De his qui dominico die jejulant. *Ex eodem.*

VIII. Si quis propter continentiam in die dominico jejulat, anathema fit. Conc. Gangr. c. 18. Burchard. lib. 13. c. 19.

De his qui abominantur eos qui carnibus vescuntur. *Ex eodem.*

IX. Si quis carnem edentem, praeter sanguinem, (id est, absque sanguine) & idolis immolatum, & suffocatum, cum religione & fide condemnat, anathema fit. Conc. Gangr. c. 2.

Non debere in diebus jejuniorum commemorationes martyrum fieri. *Ex Concilio Laodicensi.*

X. Quod non oporteat in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum sancta commemoratio diebus sabbatorum & dominicorum fieri conveniat. Concil. Laod. c. 51. Burchard. lib. 13. c. 10.

Quod manere debet firmum si serui fiscali Ecclesias fecerint. *Ex Concilio Toletano.*

XI. Si qui ex seruis fiscalibus fortasse Ecclesias construxerint, easque de sua paupertate diraverint, hoc procuret Episcopus prece



Ut omni die energumeni exorcizentur,  
*Ex Concilio Carthagenesi.*

Concil. Carthag. 4. c. 90.  
Burchard. lib. 2. c. 223.

XII. Omni die Exorcistæ energumenis manum imponant.

De victu energumenorum. *Ex eodem.*

Concil. Carthag. 4. c. 92.  
Burchard. lib. 3. c. 213.

XIII. Energumenis in domo Dei sedentibus victus cotidianus per Exorcistas ministratur.

De servis qui ad Ecclesiam confugiunt.  
*Ex Concilio Aurelianensi.*

Concil. Aurelian. 1. c. 3.  
Burchard. lib. 3. c. 192.

\* *Codex MS.*  
causa

XIV. Servus, qui ad Ecclesiam pro qualibet \* culpa confugerit, si à domino pro admessa culpa sacramentum susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur. Et si posteaquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus, si aliquam pœnam pro eadem culpa pertulerit, pro contemptu Ecclesiæ & prævaricatione fidei dominus à communione catholicorum habeatur extraneus.

De nominibus recitandis in Missa.  
*Ex epistola Innocentij.*

Decreta Innoc. 1. c. 2.

XV. De nominibus recitandis hoc observetur, ut prius oblationes offerentium commendentur, & tunc eorum nomina, quorum oblationes sunt, inter sacra Missarum mysteria nominentur.

§ † §



Quòd rite omni sabbato jejunetur.  
*Ex eodem.*

XVI. Sabbato verò jejunandum esse ratio Decreta In-  
ncc. I. c. 4. evidentissima demonstrat. Nam si die dominica ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadam ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, qui inter tristitiam & lætitiã temporis illius videtur esse inclusus. Nam constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occultasse. Quapropter sicut sexta feria jejunandum, ita & sabbato agendum est: quia ambo dies tristitiam ostendunt, sicut dies dominica lætitiã.

Jejunia legitima non nisi maxima necessitate solvenda. Unde suprã.

XVII. Jejunia sanè legitima, id est, quarta & sexta feria, non sunt solvenda, nisi pro 1.º par. 4.  
c. 32. grandi necessitate: quia feria quarta Judas de traditione Domini cogitavit, & sexta feria crucifixus est Dominus. Videbitur ergo qui in his diebus non jejunit vel cum tradente tradere salvatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.

Ut incarcerati à Præpositis Ecclesiæ diebus dominicis visitentur. *Ex Concilio Aurelianensi.*

XVIII. Miserationis intuitu æquum du- Concil. Aure-  
lian. 5. c. 20.  
 B b iij



ximus custodire ut pro quibuscunque culpis in carceribus deputantur rei, à Præposito Ecclesiæ diebus dominicis requirantur, ut necessitas vincitorum secundùm præceptum Domini misericorditer sublevetur, & competens victus de domo Ecclesiæ tribuatur.

Ut mulieres publicè docere non præsumant, neque baptizare. *Ex eodem.*

Concil. Car.  
Mag. 4. c. 99.  
& 100.  
Burchard. lib.  
8. c. 83.

XIX. Mulier, quamvis docta & sancta sit, viros in conventu docere non præsumat. Similiter nec baptizare.

Qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non debent. *Ex eodem Concilio.*

Concil. Arel.  
lat. 2. c. 30.

XX. Eos qui ad Ecclesiam confugerint trahi non oportet; sed eos domini sui promissa venia, exire persuadeant. Quòd si ab Ecclesia exeuntibus pœnale aliquid intulerint, ut Ecclesiæ inimici, habeantur excommunicati.

De accusatis vel accusatoribus.

Burchard. lib.  
2. c. 196.

XXI. Illud præterea omni ecclesiastico ordini omnimodis observandum est, ut nullatenus aliquis præsumat in Concilio vel synodali conventu aliquem confratrum accusatione pulsare, nisi priùs ipsum accusationis crimen & litigationis causas litteris per ordinem comprehensum manu propria subscripserit, & Episcopo vel sacræ synodo porrexerit, ut iustè & canonicè litigantium controversiæ finiatur. Non enim licet, ut auctoritas Romana testatur, nisi inscriptione celebrata reum quemquam fieri, nec ad iudicium exhiberi.



quia sicut convictum de crimine pœna constringit, ita accusatorem, si non probaverit quod objecit.

De eadem re. *Ex Concilio ad sanctum Medardum.*

XXII. Hincmarus Archiepiscopus Remorum suis accusatoribus dixit: Quæ est petitio vestra, fratres? Misericordiam, inquiunt, petimus à vestra paternitate impendi de ministratione ordinum ecclesiasticorum, ad quos à Domino Ebbone quondam provecti, vestra auctoritate suspensi sumus. Hincmarus Archiepiscopus dixit: Habetis libellum reclamationis aut postulationis, sicut ecclesiastica se habet traditio? Illi autem responderunt se præmanibus nullum habere libellum. Hincmarus Archiepiscopus dixit: Legum ecclesiasticarum auctoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant; adeo ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen præcipiatur; qui ad summum sacerdotium provehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur; ordinatus autem à suis ordinatoribus litteras accipere jubetur. qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libellari scriptione aut recipitur aut deicitur. Sed & qui accusatur, vel qui excommunicatur, seu reconciliatur, per scripturam accusari vel reconciliari videtur. & sic in ceteris huiusmodi in tantum scriptura deposcitur ut, sicut beatus Gregorius in commonitorio ad Johannem defensorem ex Romanis legibus sumens scribit, sententia quæ sine scriptura pro-

Concil. Sues-  
sion. 2. act. 1.  
Burchard. lib.  
2. c. 197.

2. q. 1. c. 9.

S. Gregor. lib.  
11. epist. 54.



fertur, nec nomen sententiæ habere meretur, Quapropter, fratres & filij, oportet vos secundum ecclesiasticam auctoritatem reclamationem vestram libelli serie allegare, eumque manibus vestris roboratum synodo sacræ porrigere, ut convenienter & canonicè vobis valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes, eique sua nomina suscribentes, porrexerunt Hincmaro Episcopo, qui tunc unâ cum Vvenilone Sennensi Archiepiscopo, & cum Amalrico Turonensi æquè Archiepiscopo, sub præsentia gloriosi Regis Karoli synodo præsidebat.

De eadem re.

Interpret. l. 9:      X X I I I. Tam civile negotium quàm cri-  
Cod. Theod.      minale, accusationem professio manu accusa-  
De accusat. &      toris conscripta præcedat.  
inscript.

De eadem re.

Interpret. l. 9.      X X I V. Quicumque alium de aliqua crimi-  
Cod. Theod.      nis capitalis objectione pulsaverit, non prius  
eod. tit.      à iudicibus audiatur quàm se similem pœnam,  
quam reo intendit, subscripserit subiturum.

Item unde supra.

Interpret. l. 15.      X X V. In criminalibus causis vel objectio-  
Cod. Theod.      nibus per mandatum nullus accuset; sed ipse  
eod. tit.      qui crimen intendit, per se accuset, inscrip-  
tione præmissa. Iudices autem puniendi sunt,  
damnandumque officium, si aliquem, nisi  
præmissa inscriptione, subdendum crediderint  
quæstioni.



*Ex eodem.*

XXVI. Ante inscriptionem nemo effici-  
tur criminofus. Nam infcriptione per ordinem  
facta, tunc à iudice fufcipiendus eft reus, &  
cuftodia cum accusatore tradendus.

Interpr. l. 19.  
Cod. Theod.  
cod. tit.

De his qui Epifcopo aliquam injuriam vel  
dehonorationem fecerint. *Ex libro*  
*VI. Capitularium Karoli Regis capite*  
*XCIX.*

XXVII. Si quis Epifcopo aliquam inju-  
riam aut injuftam dehonorationem fecerit,  
de vita componat, & omnia quæ habere vifus  
fuerit, Ecclefia cui præfse dinofcitur focien-  
tur, & nobis in triplo bannus nofter, id eft,  
lx. folidi perfolvantur; aut ipfe in fervitio fi-  
co noftro ferviturus femper focietur, ufque fe  
redimere in triplo juxta vvirigildum fuum po-  
tuerit. Sancta verò Ecclefia in facerdotibus  
conftat. Idcirco magna pœna plectendi funt  
qui Epifcopis vel reliquis facerdotibus inju-  
riam vel contumeliam fecerint. Nam detra-  
ctio facerdotum ad Christum pertinet, cujus  
vice legatione in Ecclefia funguntur.

Lib. 6. Capi-  
tular. c. 98.

Quæ pœnitentia imponenda fit his qui furem  
aut latronem interficiunt.

XXVIII. Si fur aut latro captus in præda  
absque occifione potest comprehendi, & ta-  
men interficitur, quia ad imaginem Dei crea-  
ti & in nomine ejus baptizati funt, interfe-  
ctores eorum quadraginta diebus non intrent  
in Ecclefiam. Lanca vefte induti, ab efcis &

Burchard. lib.  
11. c. 60.  
Ivo parte 13.  
c. 46. & apud  
Gratian. 134  
q. 2. c. 32.



potibus qui interdicti sunt, cum thoro, gladiis, & equitatu se abstineant. In tertia, quinta feria, & sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, & pomis, parvis pisciculis, cum mediocri cervisia, vicissim utantur, & temperatè. Sin autem à veridicis comprobatur testibus quòd sine odij meditatione, se suaque liberando, diaboli membra interficiunt, secundùm indulgentiam quadraginta diebus ab Ecclesia, carne, vino, & conjugio, eleemosynam largiter faciendo, abstineant. Et si Presbyter est, non deponatur, cunctis tamen vitæ suæ diebus pœnitentiam \* agat.

\* *Cod. M. S.*  
agendo.

Ne oblationes alibi fiant quàm in Ecclesia.

Conc. Gangr.  
c. 7.

Lib. 7. Capitular. c. 5.  
Burchard. lib.  
3. c. 144. &  
lib. 11. c. 21.

XXIX. Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi vel ei cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.

Contra eos qui dicunt sanctum Gregorium Papam Romanum ad interrogationem Augustini Cantuariorum Episcopi consanguinitatis quarta contracta matrimonia solviminimè debere. *Excerptum ex vita sancti Gregorij libro 11. cap. xxxvii.*

Exceptiones  
Egberti c. 130.  
Burchard. lib.  
7. c. 19. 20.

XXX. Gregorius Papa Romanus requisitus ab Augustino Anglorum gentis Episcopo usque ad quodam generationem fideles debeant copulari, dispensatoriè sic rescripsit. Quædam terrena lex in Romana republica permittit ut sive frater & soror, seu duorum



fratrum germanorum vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est ut jam quarta & sexta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam in secunda quam prædiximus omnino debeat abstineri. Verùm post multum temporis à Felice \* Mesenæ Siciliae Præsule requisitus utrum Augustino scripserit ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minimè solverentur, humillimus pater Gregorius inter cetera talem dedit rationem. Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet, ut recorderis, tuo, de sanguinitatis conjunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora, recederet, specialiter & non generaliter certissimè scripsisse me cognoscas. Unde & mihi omnis Romana civitas testis existit. Nec in ea intentione hæc illis scripsi mandata ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, usque ad septimam generationem, jungantur. Sed adhuc illos neophytos existentes, sæpissime eos priùs illicita docere & verbis ac exemplis instruere, & quæ post de talibus egerint rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam juxta Apostolum, qui ait *Lac vobis dedimus escam*, ista illis modò, non posteris, ut præfixum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat exureretur, sed aliquan-

Exceptiones  
Egberti c. 131.  
\* Messanæ



396      P R I M A   A P P E N D I X  
tum firmaretur, & usque ad perfectionem custodiretur. Hæc ego Johannes idcirco perstringenda curavi, ut hi qui occasione novæ dispensationis illicita matrimonia contrahunt, eruditissimum virum non regulariter quartæ generationis copulam censuisse, immo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant.

De Presbyteris vel Diaconibus ab uno Episcopo non deponendis. *Ex Concilio Toletano cap. XIII.*

Concil. Hispal. 2. c. 13.

X X X I. Comperimus quendam Fratignum Cordubensis Ecclesiæ Presbyterum à Pontifice suo injustè olim dejectum, & innocentem exilio condemnatum; quem rursus ordini suo restituentes, id denuo adversus præsumptionem nostram decrevimus, ut juxta præscriptam patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilij examine deiciendum quemlibet Presbyterorum vel Diaconorum audeat. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. Presbyter profecto nec ab uno damnari nec uno judicante poterit honoris sui privilegio denudari, sed præstanti synodali judicio quod canon de illis præceperit.

Ut Abbates Episcopis, monachi Abbatibus subsint. Et de monachis vagis. *Ex Concilio Aurelianensi cap. XV.*

Concil. Aurelian. 1. c. 19.  
Burchard. lib. 2. c. 67.

X X X I I. Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis cor-



rigantur : qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant. Monachi autem Abbatibus omni obedientia & devotione subjaceant. Quòd si quis per contumaciam extiterit indevotus, ac per loca aliqua vagari aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ adquisierit, ab Abbatibus auferantur secundum regulam monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint provagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur ; & reum se ille Abbas futurum esse cognoscat qui in hujusmodi personis non regulari animadversione distrikerit, vel qui monachum susceperit alienum.

De discretione potestatis Episcoporum quam in monasteriis habere possunt. *Ex Concilio Toletano IV. cap. I.*

XXXIII. Nuntiatum est præsentì Concilio, eò quòd monachi episcopali imperio servili opere mancipientur, & jura monasteriorum contra constituta canonum illicita præsumptione usurpentur, ita ut penè ex cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter monemus [ eos ] qui Ecclesiis præsunt ut ultra talia non præsumant, sed hoc tantum in monasterio sibi \* judicent sacerdotes quod præcipiunt canones, id est, ad conversationem sanctam præponere Abbates, aliâque officia constituere, atque extra regulam facta \* colligere. Quòd si aliqui in monachis canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quip-

Concil. Tolet.  
4. c. 51.

\* vindicent

\* corrigent



piam de monasterij rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis qui se deinceps nequaquam subtulerint ab illicitis.

De his quos parentes ab infantia clericatus officio manciparunt, si postea voluntatem habeant nubendi. *Ex Concilio Toletano cap. CXIX.*

Concil. Tolet.  
1. c. 1.

\* sub

**XXXIV.** De his quos voluntas parentum à primis infantiae annis divinis ministeriis tradiderit id statuimus observandum, ut mox detonsi vel ministerio lectorum traditi fuerint, in domo Ecclesiae \* ab episcopali praesentia à praeposito sibi debeant erudiri. Liberum tamen propriae voluntatis arbitrium habeant, ubi se clericatus officio mancipari elegerint. At ubi octavum decimum aetatis suae annum compleverint, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, & professionem castimoniae suae absque conjugali necessitate sponderint servaturos, hi, tanquam appetitores artissimae vitae, levissimo Domini jugo subdantur; ac primum subdiaconatus ministerium habeant, quod à probatione professionis suae à vicesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac si inoffensè vicesimum & quintum aetatis suae peregerint annum, ad diaconatus officium, si scienter implere possent ab Episcopo comprobantur, promoveri possunt.



Ut Diaconus ante xxv. annos & sacerdos  
ante xxx. non ordinetur. *Ex Concilio  
Arelatensi quarto, cap. i.*

XXXV. Et quia in ordinandis Clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscitur, ne fortè quorumcunque importunis & inordinatis precibus sacerdotes Domini fatigentur, & ea quæ toties sunt præcepta transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt, ut nullus Episcoporum Diaconum antè quàm xxv. annos impleat ordinare præsumat. Episcopatus verò vel presbyteratus honorem nullus laicus ante præmissam conversionem vel ante xxx. ætatis annos accipiat.

Ut pœnitentes & digami non ordinentur.  
*Ex eodem, cap. iiii.*

XXXVI. Nullus pœnitentem, nullus digamum, vel internuptarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare. Et licet hæc etiam propè omnium canonum instituta confiterint, tamen ne cuicumque sacerdotum supplicandum, sicut jam diximus, importunitas vel suggestio iniqua surripiat, necesse fuit ut nunc severiorem regulam sibi velint Domini sacerdotes imponere. Et ideo quicumque ab hac die contra ea quæ superius sunt comprehensa Clericum ordinare præsumpserit, ab ea die qua hoc ei potuerit approbari, anno integro Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum caritate noverit se alienum.



Quia dignum est ut severitatem disciplinae ecclesiasticae sentiat qui salubriter à sanctis patribus instituta observare contemnit.

*Desunt aliquot verba in canone isto, quae sic interjicienda sunt ex editione canonum istius Concilii Aurelianensis: approbati, anno integro Missas facere non praesumat, quam rem si quis observare noluerit, & contra consensum fratrum faciens, Missas celebrare &c. Error fuit librarij.*

Qua aetate Diaconi ordinentur.

*Capitulum XIII.*

Conc. Agath.  
c. 16.

XXXVII. Episcopus verò benedictionem diaconatus minoribus à viginti & quinque annorum penitus non committat. Sane si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est ut sequestrato mansionis cubiculo, religione praemissa, postea quàm pariter conversi fuerint, ordinentur.

Qua aetate Episcopi vel Presbyteri consecrentur. *Ex eodem, cap. XVII.*

XXXVIII. Presbyterum verò vel Episcopum ante xxx. annos, id est, ad viri perfecti aetatem perveniat, nullus Metropolitanorum ordinare praesumat; ne per aetatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur.

Qua aetate sacerdotes ordinari debeant. *Ex canonibus orientalium antiquorum patrum cap. XX.*

Concil. Neocæsar. c. 11.

XXXIX. Si quis triginta aetatis suae non impleverit



impleverit annos, nullo modo Presbyter ordinetur, etsi valde sit dignus: quia ipse Dominus in tricesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum qui ordinandus est usque ad hanc ætatem legitimam conservari.

Martin. Braë.

c. 20.

Burchard. lib.

2. c. 10.

De ordinatione Episcopi. *Ex Concilio Tolentino* I V. capitulo X I X.

XL. Perniciosa consuetudo nequaquam reticenda, quæ majorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbavit, dum alij per ambitum sacerdotium appetunt, alij oblatiis muneribus pontificatum assumunt, nonnulli etiam sceleribus implicati, vel seculari militiæ dediti, indigni ad honorem summi sacri ordinis pervenerunt. De quorum scilicet causa atque remotione oportuerat quidem statuendum. Sed ne perturbatio quamplurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis, deinceps qui non promoveantur ad sacerdotium ex regulis canonum necessario credimus inserendum. id est. qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt, qui in hæresi baptizati aut rebaptizati esse notantur, qui semetipsos absciderunt, aut naturaliter membrorum defectu vel defectione aliquid minùs habere noscuntur, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas ad fornicationes habuerunt, qui ser-



vili conditione obnoxij sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti vel laici sunt, qui seculari militia dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscij litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps sacerdos erit quem nec clerus nec populus propria civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitanus vel comprovincialium sacerdotum accessio exquisivit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem sacerdotij postulatur, & in his quæ prædicta sunt exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, examinatus, probabili vita atque doctrina extiterit, tunc secundum synodalia vel decretalia constituta cum omnium Clericorum vel civium voluntate ab universis comprovincialibus Episcopis aut certè à tribus in die dominica consecrabitur, conibentibus litteris suis qui absentes sunt, & magis auctoritate vel præsentia ejus qui est in metropoli constitutus. Episcopus autem cum comprovincialibus consecrandus est ubi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem non nisi in civitate metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum sacerdotij indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacet.



Ut viduæ non velentur. *De generalibus decretis Gelasij Papa.*

XLI. Viduas velare Pontificum nullus attemptet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic ecclesiastica inferenda præsidia ut nihil committatur illicitum.

Decreta Gelasij c. 13.

Lib. 1. Capitular. c. 59.

Quod viduæ, ut supra dictum est, non velentur. Sed si professam continentiam proposito mutato calcaverint, ipsæ pro se Deo rationem reddant. *Cap. XXI. ejusdem.*

XLII. Nam de viduis sub nulla benedictione velandis superius latè sufficienterque differendum duximus: quia si propria voluntate professam pristini conjugij castitatem mutabili mente calcaverint, periculi ejus intendant, quia, juxta Apostolum, primam fidem irritam fecit, quali Deum debeat satisfactione placare. Sicut enim, si se forsitan continere non poterat, secundum Apostolum nullatenus nubere vetabatur, sic habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiae fidem debuit custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus inicere; sed solum adhortationes præmij sempiterni pœnâsque proponere divini judicij, ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se Deo rationem reddat intentio. Cavendum est quippe quod de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur Apostolus. quod planius exponere præterimus, ne

Burchard. lib. 8. c. 54.



fexus instabilis non tam deterreri quam admeri videatur.

De viduis quæ post professam continentiam peccaverint. *Concilium Carthagenfis Africa quartum habitum ab Episcopis numero CCXIV. æra CCCCXXXVI.*

Concil. Carthag. 4. c. 104.  
Burchard. lib. 8. c. 39.

**XLIII.** Sicut bonum est castitatis præmium, ita & majori observantia & præceptione custodiendum est ut si quæ viduæ, quamlibet adhuc in minoribus annis posita, & in matura ætate à viro relicta, se devoverint Deo, & veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transferant, secundum Apostolum Paulum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Deo voverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ alienæ sunt à Christianorum communione, quæ nec in convivio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ conjuges reatu sunt suis viris obnoxia, quanto magis viduæ, quæ Deo religiositatem voverunt, crimine adulterij notabuntur, si devotionem quam spontaneæ Deo obtulerunt libidinosa voluptate corruerint atque ad secundas nuptias transitum fecerint; quæ etsi violentia irruente ab aliquo præcepta fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in conjugium raptori vel violento viro consenserint, superiùs damnatione cum præsentente neantur obnoxia. De talibus enim ait Apostolus: *Cùm enim luxuriata fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primum se-*



*dem irritam fecerunt.* Aurelius Episcopus Carthagenensis Ecclesie subscripsi. Donatianus Taleptensis primæ sedis.

De viduis professis, si nupserint, aut raptæ fuerint. *Concilium Arausicum xvii. Episcoporum habitum era cccclxxvii. titulo primo, cap. xxvii.*

XLI V. Viduitatis servandæ professionem coram Episcopo in secretario habitam, imposta ab Episcopo veste viduali, non esse violandam; ejus verò robatorem, vel ipsam talis professionis desertricem, meritò esse damnandam.

Concil. Arau-  
sic. l. c. 27.  
Burchard. lib.  
8. c. 43.

*Incipiunt capitula qua in Dei nomine sancta synodus in Toletanam urbem cap. x.*

XLV. Præ consultu castitatis, quod maxime hortamento Concilij proficere debet, annuente glorioso Domino nostro Recaredo Rege, hoc sanctum affirmat Concilium, ut viduæ quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quod si priusquam profiteantur continentiam nubere elegerint, illis nubant quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec citra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, à sancta communione & à liminibus Ecclesie habeatur extraneus.

Concil Tolet.  
3. c. 10.  
Burchard. lib.  
8. c. 44.



De viris ac feminis sacris propositum trans-  
gredientibus sacrum. *Concilium  
Toletanum.*Concil. Tolet.  
6. c. 6.  
Burchard. lib.  
8. c. 14.

**XLVI.** Proclivis cursus est à voluntate, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum induerint semel vel induerunt spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel femina fuerit aut fuit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu prævaricator ad propositum invitatus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella monasterium ingrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia à Christianorum cœtu habeantur extorres, ut nec locus eis ullus sit communis. Viduas quoque universalis jamdudum statuit synodus professionum vel habitus sui desertrices ut superiori sententia condemnentur.

Ut viduæ vel virgines continentiam professæ non nubant. *Item ejusdem Papæ Gelasij ad Sicilienses Episcopos.*

Symmach. ep.  
1. c. 5.  
Burchard. lib.  
8. c. 46.

**XLVII.** Neque viduas ad nuptias transire patimur quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserint. Similiter virgines nubere prohibemus quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse constiterit.

De his qui velatas Deo consecratas in conjugium duxerint. *Cap. XXI I.*

Concil. Tri-  
bur. c. 23.

**XLVIII.** Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dictum



Deo propositum incesta fœdera sacrilegâque miscuerit, ut in constitutis Gelasij Papæ cap. xx. legitur, protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerit, transeuntibus de seculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi Concilio cap. xvi. hoc perpetrantes excommunicentur. Confitentibus auctoritate Episcopi misericordia largiatur. In epistola Papæ Siricij cap. vi. velatæ Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis clanculùm sacrilega contagione se miscuerint, vel de illicitis compluribus publicè & liberè procreaverint, has impudicas detestabilésque personas à monasteriorum cœtu & Ecclesiarum conventibus eliminandas esse judicatum est; quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo Domini & canonica auctoritate in hac sancta synodo præcipimus ut omnino separentur, & juramento colligantur ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia & publico, aut pariter ullam habere communionem unde suspicio inlecebrosi desiderij aut scandalum libidinosi facti justè possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sint, dividant, & uterque sua provideat.

Burchard. lib. 8. c. 38.

De viduis velatis. *Gelasij Papæ.*

XLIX. Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, ( prout constitutum est in decretis Gelasij cap. xiiii. ) quod nec auctoritas divina nec canonum forma præstituit. Quæ

Concil. Tribur. c. 25.  
Burchard. lib. 8. c. 36.



si propria voluntate continentiam professa, (ut in ejusdem Gelasij cap. xxi. legitur) ejus intentio pro se reddat rationem Deo; quia sicut, secundum Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic secum habita deliberatione promissam fidem pudicitiae Deo debet custodire. Qua auctoritate paternae suffulti sententiae, in hoc sacro conventu sancimus & liberè judicamus quòd si sponte velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniam habitum ulterius habere debebit, licet sacramento confirmare velit eo tenore & ratione velamen sibi imponere ut iterum non possit deponere.

Item de viduis velatis. *Ex Concilio Africano capitulo LXXXIX.*

L. Vidua quidem quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter ceteras velatas feminas in Ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, à religionis observantia discedere non præsumat. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

De viro contra voluntatem uxoris in monasterium ingresso, & jam tonsoratus fuerit, omnino reddendo. *Ex reg. par. i. cap. CLXXX. ad Adriam Notarium Panormi.*

S. Gregor. lib.  
9. indict. 4.  
epist. 44.

LI. Agathosa latris præsentium quæstæ est maritum suum contra voluntatem suam in



monasterio Urbici Abbatis esse conversum. Burchard. lib. 9. c. 48.  
 Quod quia ad ejusdem Abbatis culpam & invidiam non est dubium pertinere, experientia tua precipimus ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illum in monasterio permanere provideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si verò nil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet uxorem relinquere, prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictæ in seculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, vel si jam tonsoratus est, reddere omnino debeas excusatione cessante. Quia etsi mundana lex precipit conversationis gratia utrolibet invito solvi posse conjugium, divina lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis causa virum uxorem relinquere nulla ratione concedit. Quia postquam copulatione conjugij viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti & ex parte in seculo manere.

Episcopum debere honorem deponere si concubinam habuit eo tempore quo erat in sacro ordine constitutus. *Ex epistola sancti Gregorij cap. XLIII.*

LII. Andreæ Tarentino Episcopo scribit dicens: Tribunal judicis æterni securus aspiciet quisquis reatus sui conscius digna eum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse te concubinam manifesta veritate comperi-

S. Gregor. lib. 2. Indict. 11. epist. 83. Burchard. lib. 1. c. 195.



mus. de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiae elegimus committendum. Qua de re, si in sacro ordine constitutus, ejus te permutatione esse reolis maculatum, sacerdotij honore deposito, ad administrandum nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculo ministrare & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem, permanere volueris.

De raptoribus virginum & viduarum. Item de abbatibus quæ jus electionis habent, seu de his quæ non habent.

L I I I. Anno incarnationis Domini D C C C L I I. Indictione I X. constitutum est in Franconofurth à Rege gloriosissimo Ottonne anno illius x v. consentientibus Episcopis, Comitibus, aliisque fidelibus compluribus, canonum sanctorumque patrum auctoritate, necnon Capitularium præcedentium Regum institutis coram positis, ne oppressio virginum aut viduarum vel raptus ab ullis hominibus fiat, & ut qui rapiunt eas sub nomine simul habitandi, cooperantes & coniventes raptoribus, si quidem Clerici sunt, decendant à proprio gradu; si verò laici, anathematizentur, & raptores sine spe conjugij permaneant. Quòd si post hæc jungere se præsumpserint, utrique anathematizentur. Nuendum est etiam præfato Rege ut nulla abbatia quæ per se electionem habet, ad monasterium nec ali-



cui in proprium possit donari. Illæ verò quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad aliud monasterium, quod sub ejus munitur, consistit, surrogari possint.

Quid sit ministrare Christo.

LIV. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* S. August. tract. 51. in Ioann.

Quo fructu, qua mercede, quo præmio? *Et ubi sum, inquit, illic & minister meus erit.*

Gratis ametur, ut operis quo ministratur illi præmium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando malè esse poterit cum illo?

Audi evidentiùs. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.* Quo honore, nisi ut sit cum filio ejus? Quid enim superiùs ait?

*Ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Hoc intellegitur exposuisse cum dicit: *Honorificabit eum pater meus.*

Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus quam ut sit ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati? Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta promittitur, hoc potiùs debemus inquirere.

Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere vel adponere, vel poculum dare, potumque miscere, fecerunt hoc illi qui potuerunt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha & Maria, quando & Lazarus unus erat ex recumbentibus. Sed eo modo Christo etiam Judas perditus ministravit. Nam & loculos habebat ipse. Et quamvis ex eis quæ mittebantur sceleratissimè furaretur, per illum tamen etiam neces-



faria parabantur. Hinc est illud quòd cum ei diceret Dominus *Quod facis fac velociter*, arbitrati sunt quidam quòd eum jussisset propter diem festum necessaria pręparare vel indigentibus aliquid dare. Nullo modo igitur de hujuscemodi ministris diceret Dominus, *Vbi ego sum, ibi erit & minister meus; Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus*, quoniam Judam talia ministrantem reprobatum potiùs quàm honoratum videmus. Ut quid ergo alibi quærimus quid sit ministrare Christo, & non potiùs in istis ipsis verbis agnoscimus? Cùm enim dixit, *Si quis mihi ministrat me sequatur*, hoc intellegi voluit, ac si diceret: Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Jesu Christo qui non sua querunt, sed quę Jesu Christi. Hoc est enim, *me sequantur*. Vias ambulant, non suas. Sicut alibi scriptum est: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare*. Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia, nesciente sinistra quid faciat dextera, id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere caritatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat; rectèque illi dicitur: *Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Nec ea tantùm quę ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia opera bona propter Christum faciens. Tunc enim erunt

\* Apud Augustinum:  
omni credenti.  
Minister est Christi usque ad

\* Apud Au-

bona; quoniam finis legis Christus ad justitiam omni \* credenti minister est usque ad illud opus magnę caritatis, quod est animam suam pro fratribus \* ponere, quia & hoc sua membra dicturus est: Cùm pro istis, pro me



fecisti. De tali quippe opere etiam se ministrum facere & appellare dignatus est ubi ait: *Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare & animam suam ponere pro multis.* Hinc ergo est unusquisque minister Christi unde est minister & Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit pater ejus honore illo magno, ut sit cum filio ejus, nec unquam deficiat felicitas ejus. Cum ergo audistis, fratres, Dominum dicentem, *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*, nolite tantummodo bonos Episcopos & Clericos cogitare. Etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, bene vivendo, ac eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando; ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine cognoscat paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo & pro vita æterna suos omnes moneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benivolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua ecclesiasticum & quodam modo episcopale implet officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministratiorem multi ex vestro numero ministrant, multi Episcopi, Clerici, juvenes & virgines, senes cum junioribus. Multi conjugati & conjugatæ, multi patres matrèsque familias, ministrantes Christo, etiam animas suas in ejus martyrio posuerunt, & honorificante patre coronas gloriosissimas receperunt.

*gustinum:*  
ponere. Hoc  
est enim &  
pro Christo  
ponere, quia  
& h. propter  
sua m.





De Clericis qui monachorum propositum  
appetunt. *Ex Concilio Toletano*  
cap. l.

Concil. Tolet.

4. c. 50.

Burchard. lib.

8. c. 21.

Vide Concil.

Cæsaraugust.

c. 6.

LV. Clerici qui monachorum propositum  
appetunt, & meliorem vitam sequi cupiunt,  
liberos ab Episcopo in monasteriis largiri  
oportet ingressus, nec interdicti propositum  
eorum qui ad contemplationis desiderium  
transire nituntur.

Decretum de viduis. *Ex epistola beati Grego-  
rii Pape Bonifatio Archiepiscopo missa,*  
*in qua inter cetera ita legitur.*

Addit. iv.

c. 65.

Burchard. lib.

8. c. 45.

Ivo parte 7.

c. 63.

LVI. Viduas à proposito discedentes vi-  
duitatis, super quibus nos consulere voluit di-  
lectio tua, frater carissime, credo te nosse à  
sancto Paulo & à multis sanctis patribus, nisi  
convertantur, olim esse damnatas; quas &  
nos apostolica auctoritate damnandas & à  
communione fidelium atque à liminibus Ec-  
clesiæ arcendas fore censemus usquequo obe-  
diant Episcopis suis & ad bonum quod cepe-  
runt invitæ aut voluntariæ revertantur. De  
virginibus autem velatis, si deviaverint, à  
sanctæ memoriæ prædecessore nostro Inno-  
centio tale decretum habemus: *Haec verò que*  
*necdum sacro velamine tecta, tamen in proposito*  
*virginali semper se simulaverint permanere,*  
*licet velata non fuerint, si nupserint, aliquanto*  
*tempore his agenda pœnitentia est, quia sponsa*  
*earum à Domino tenebatur. Si enim inter homi-*  
*nes solet bonæ fidei contractus nulla ratione dis-*  
*solvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum*



Deo pepigit , solvi sine vincla non poterit. & cetera. Nam si virgines nondum velatae taliter poenitentia publica puniuntur & a coetu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto potius viduae, quae perfectioris aetatis & maturioris sapientiae atque consilij existunt, virorumque consortio multotiens usae sunt, & velari se permiserunt, habitum religionis assumpserunt, & demum apostataverunt, atque ad prius vomitum sunt reversae, a nobis & ab omnibus fidelibus a liminibus Ecclesiae & coetu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandae & carceribus tradendae, qualiter juxta Apostolum Paulum tradentes hujusmodi hominem Satanae, ut spiritus salvus sit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moysen loquitur: *Auferte malum de medio vestri.* De quibus & per Prophetam ait: *Letabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* De talibus namque & eorum similibus atque eisdem consentientibus, quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, rei sunt, Dominus per eundem Prophetam David loquitur dicens: *Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* & multa eorumque similia. Tales ergo personae indubitanter adulterae esse manifestantur; quoniam relicto immortali sponso, ad anteriorem ut canes ad proprium reversae sunt vomitum, & apostatae factae, illicita ac sacrilega se contagione polluentes, viris mortalibus se congluciantes; quae etiam, juxta Apostolum Paulum, eo quod viduitatis propositum dimiserunt, &

rum  
ofitum  
piunt,  
largiri  
ofitum  
lerium  
i Gre  
missa,  
ces vi-  
luit di-  
nosse a  
is, nisi  
uas &  
s & a  
us Ec-  
obe-  
cepe.  
r. De  
int, a  
Inno-  
erò que  
oposto  
anere,  
quanto  
sponso  
homi-  
ne dis-  
m cum



fidem quam cum Deo pepigerunt frangere præsumpserunt, atque primam fidem prævaricaverunt, sunt damnandæ à nobisque & à vobis atque à reliquis nostri ordinis viris, à singulis videlicet sua in diocesi, à liminibus Ecclesiæ & à cœtu fidelium usque ad satisfactionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ. A talium autem consortio & societate omnes fideles in omnibus abstinere mandamus. Super quibus etiam placuit, quousque in ipso detestando & illicito atque sacrilego carnis contubernio perseverant, ut nullus Christianorum, nisi quibus proprius studio corrigendi jussert Episcopus, cum eis in quoquam communice, aut ad domum in qua sunt accedat, cum quibus etiam, ut jamdictus præcepit Apostolus, nulli fidelium cibum sumere licet. Quòd si quis ex his quicquam tentare aut temerare præsumpserit, pari cum eis excommunicationis sententia feriatur.

De vidua quæ sub obtentu religionis velum ad tempus sibi imposuerit. *Cap. v.*

Burchard. lib.  
8. c. 47.

LVII. Nicolaus Episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Adalvino sanctæ Juvavensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Quòd autem interrogatis de femina quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimoniam bonam esse, postea verò ad nuptias rediit, videtur, quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat



agat de illusione nefanda, & revertatur ad id quod spondit & in sacro ministerio inchoavit. Nam si consenserimus quòd omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, & non verè fiat, omnis ordo ecclesiasticus conturbatur, nec catholicae fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni mago baptismum sacrum fictè suscipere & in Christianitate permansurum se finxisse, cum per Apostolum fraus ejus detecta, quid sibi futurum esset pronuntiatum est. Ait enim: *Pecunia tua tecum sit in perditione. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum ut fortè remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Ideo tales, nisi resipiscant, spiritali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri; sicut Ananias & Saphira mentiti sunt, & statim perierunt.

De pœnitentibus viris ac viduis sive virginibus qui divertentes laici fiunt, aut vestem mutant, vel conjugis copulantur.

*Toletanum Concilium IV. cap. LV.*

LVIII. Quicumque ex secularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes, laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quòd si aliqui per pœnitentiam inrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, verè ut apostatæ coram Ecclesia ut anathematis sententia condemnentur.

Burchard. lib.  
8. c. 27.



Non aliter & hi qui tonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua, amissis parentibus, se ipsos religioni devoverunt, & postea habitum secularem sumpserunt, & iidem à sacerdote comprehensi, ad cultum religionis, acta priùs pœnitentia, revocentur. Quòd si reverti non possunt, verè ut apostatæ anathematis sententiæ subiciantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis virginibusque sacris ac pœnitentibus feminis quæ sanctimonialem habitum induerunt & postea aut vestem mutaverunt aut ad nuptias transferunt.

De discretione secularium & sanctimonialium viduarum. *Item ejusdem cap. LV I.*

L I X. Duo sunt genera viduarum, seculares, & sanctimoniales. Seculares viduæ sunt quæ adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt quæ jam mutato habitu seculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel Ecclesiæ apparuerint. Hæ si ad nuptias transferint, juxta Apostolum non sine damnatione erunt; quia se primùm Deo voventes, postea castitatis propositum abicierunt.

Ad habitum redire cogatur, & recludatur in monasterio, quæ religiosam vestem abiecit. *Ex registro Gregorij, Vitaliano Episcopo Sepontino.*

Lib. 7. Indiæ.  
1. epist. 9.  
Burchard. lib.  
8. c. 49.

L X. Si custos religiosi habitus aut esse nosces Episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illuc posito, nec projectis religiosis vestibus ad secularem reverti



habitum nec ad nos licuisset perversam epistolam destinare. Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præfens illicita impune commissa est. Nam, sicut præfati sumus, si sollicitus \* esses, prius ad \* existiſſes nos ultio mulieris pravissimæ quàm culpa debuit pervenire. Quia ergo tantum hebes tantumque es negligens ut nisi canonicam in te fueris coërtionem expertus, in aliis districtiorem & disciplinam nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus congruo tibi, si Domino placuerit, tempore \* demonstramus. Præsentia igitur scripta suscipiens evigila, & excita- \* demonstra- tus saltim exequere quod pressus nunc usque bimus innavia distulisti. Instantiæ ergo tuæ sit prædictam mulierem unà cum Sergio Defensore comprehendere, & statim non solum ad malè contemptum habitum sine excusatione aliqua revocare, sed etiam in monasterio, ubi omnino districtè valeat custodiri, detrudere, & ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere ut quàm sit nefarium quod commisit ex tua possit districtione cognoscere. \* Quod si quis, \* Quia in re si quis quod non credimus, laicorum aliquo tibi ingenio tentaverit obsistendum, à \* sanctissimæ \* sacratissimæ eum communionis participatione suspende; nobisque renuntiare festina; ut quantum sit execrabile quod præsumit, postquam consideratione propria non advertit, emendationis qualitate cognoscat. In his autem omnibus ita te cautum ac stude vigilantem ostendere ut culpam tuam non geminare neglectus sed aliquantis per valeat sollicitudo minuere.



De eadem re. *Gregorius Sergio Defensori nostro.*

Lib. 7. Indi<sup>o</sup>.  
1. epist. 10.

LXI. Si homo esses, aut distractionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinae debuisti custos existere ut ea quæ illic illicitè committuntur antè vindicta corrigeres quàm ad nos eorum nuntius perveniret. Sed dum nimia stultitia te facit negligentem, non solum delictis offendimur, sed etiam ad ulciscendam delictam tuam nihilominus provocamur. Omni ergo dilatione omnique excusatione postposita filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, quæ projectis quas sponte assumpsit religiosi vestibibus, indumentis se laicis deturpavit, unà cum fratre & coëpiscopo nostro Vitaliano festina comprehendere atque ad religiosum rursus habitum revocare, ac in monasterio mittere, ubi districtè omnino valeat custodiri, nec ejus custodiam aliquatenus relevari permittas quousque nostra denuo scripta susceperis. Nam si quolibet modo in hac negligentem vel lentum extiteris, ita in te districtissimè noveris vindicandum ut quod ex te nescis, pœna possis referante cognoscere: quia, sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ facere modò præciperis, antè debueras etiam cum ultione à te facta cognoscere.

De feminis quæ religionis vestem in domibus propriis mutaverint, si postea conjugium elegerint, quid agendum sit. *Toletanum Concilium IV. cap. LVII.*

Lib. 7. Capitular. c. 257.

LXII. De viduis & puellis quæ habitum



religionis in domibus propriis tam à parentibus quàm per se mutaverunt, & si postea contra instituta patrum vel præcepta canonum conjugia crediderint copulanda, tamdiu utriusque habeantur à communione suspensi quousque quod illicitè perpetraverunt emendent. Quòd si emendare neglexerint, à communione vel omnium Christianorum convivio in perpetuo sint sequestrati. [ *Non extat inter canones Conciliorum Toletanorum.* ]

Burchard. lib.  
8. c. 48.

Quòd consuetudo ecclesiastica pro lege tenenda est. *Sancti patris nostri Basilij capite xxvii. sermonum ad beatum Amphilochium de Spiritu sancto scriptum.*

LXIII. Ecclesiasticarum institutionum quasdam scripturis, quasdam verò apostolica traditione per successiones in ministerio confirmatas accepimus; quibus par virtus & idem utrisque pietatis effectus quin sit, quotusquisque vel aliquantulum sacrarum expertus scripturarum hæsitaverit. Si enim attentaverimus consuetudines Ecclesiæ non per scripturas à patribus traditas nihili æstimare, quantum religio detrimenti latura sit, dispicientibus liquidò constabit. Quæ enim, ut inde ordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ multifariam digesta super panem & calicem prolixè orationis & consecrationis verba commendavit? Nam non modò quod in evangelio continetur vel Apostolo in secretis dicimus, sed & alia perplura adicimus magnum quasi unum consummandis accommodantia mysteriis. Quæ orientem ver-

Burchard. lib.  
3. c. 127.



422 PRIMA APPEND. REGIN.  
suis nos orare litterarum forma præstituit?  
Benedicimus fontem baptismatis, oleum un-  
ctionis. Huc accedit quòd ter immergimus  
quos baptizamus, oleo unguimus, verbis ab-  
renuntiare Satanæ & angelis ejus informa-  
mus. Unde hæc & alia in hunc modum non  
pauca nisi tacita ac mystica traditione à patri-  
bus ecclesiastico more reverentiori diligentia  
in mysteriis observata silentio quàm publicata  
scripto?

*Item cap. XXIX.*

Basiliius in ep.  
ad Amphi-  
loch. c. 27. &  
29.

LXIV. Deficit me dies si singulas Eccle-  
siæ consuetudines explicatum aggrediar. Quid  
plura? Ipsam confessionem fidei credendi in  
Patrem & Filium & Spiritum sanctum quis  
nobis scripto insinuavit, nisi quòd baptismatis  
traditionem consequenter fidei pietas imi-  
tatur, & ut baptizamur, ita & credimus? Quæ  
diebus festis scriptura stantes nos orare præce-  
pit, profestis autem non sic? Ergo si tot non  
scripto tradita usus Ecclesiæ piè accepta my-  
stica observatione custodit, non absurdum  
immo apostolicum arbitror etiam non scriptas  
traditiones firmiter tenere. *Laudo vos, inquit  
Apostolus, quòd in omnibus memores mei estis,  
& sicut tradidi vobis traditiones tenetis. Et il-  
lud: Tenetis traditiones quas accepistis sive per  
sermonem sive epistolam.* Igitur licet in ore  
duorum vel trium testium stet omne verbum,  
diversis niti exemplis maluimus, quibus eccle-  
siasticæ consuetudinis observantiam à majori-  
bus ductam pro lege tenendam persuasibilis  
eruditus clarescat,